Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

longi temporis. siue xxx. siue xl. annorum sit. Hec de prescriptionibus inter priuatos. Ecclesiam aduersus loca religiosa non nisi xl. annorum prescriptio currit. Unde in autenticis. Quas actiones tricennalis prescriptio excludit. si loco religioso competant xl annis clauduntur. Et in nouellis. Neque decennii neque uicennii tempus est. In canonibus uero ecclesia aduersus ecclesiam xxx annis. monasterium aduersus ecclesiam non nisi xl annis prescribere permittitur. Quod si priuatus primitias et decimas siue titulo. siue sine titulo possederit. nulla temporis prescriptione tutus esse poterit. Que enim ab initio de iure effectum sortiri non possunt. tractu temporis non conualescunt. Unde si liber homo longo tempore pro seruo detineatur. et si xl. annorum curricula excesserit. sola temporis longinquitate libertatis iura minime mutilabuntur. Ad hec. Ecclesie rei publice primitie decimationes ciuilium functionum instar optinent. porro publice functiones prescribi non possunt. Unde viii. libro codicis titulo. de xxx. uel xl annorum prescriptione imperator anastasius. Iubemus eos qui rem aliquam per continuum annorum xl curriculum sine quadam legitima interpellatione possederint. de possessione quidem rei seu domino nequaquam remoueri. functiones autem seu ciuiles canones uel aliam quandam publicam collationem impositam eis dependere compelli. nec huic parti cuiuscumque temporis prescriptionem oppositam admitti. §. Sic ergo predia siue sint priuati siue ecclesie possunt prescribi. prouentus primitiarum decimationum. prescriptione tolli non possunt. et si a romano pontifice quilibet laicus super his rescriptum impetrauerit. Rescripta enim que contra ius scriptum impetrata fuerint. nullius momenti esse censentur. non talia sint que illis prosint et nulli obsint. Item. decime deo mandante sacerdotibus et leuitis separate sunt. ut de sorte domini uiuerent. qui eius sorte communicant. Non ergo cuiusquam priuilegio laicis concedi possunt. ne diuinis mandatis auctoritas humana preiudicium inferat. Unde imperator ualentinianus et theodosius. Uniuersas terras que a colonis dominicis iuris rei publice uel templorum in quibuslibet prouinciis uendite uel ullo alio pacto alienate sunt. ab his qui preperam atque contra leges eas detinent. nulla longi temporis prescriptione officiente iubemus restitui. ita ut nec precium quidem iniquis comparatoribus reposcere liceat.

Q. VI. an ea que sibi quisque deberi putat. non nisi per iudicem reposcat. Unde Gregorius petro subdiacono. In personam delinquentis non in facultates eius ultio procedat. Et a commodo autem eius omnimodo abstineatur. ....

Cognouimus quod si quis ex familia culpam fecerit. non in ipso sed in eius substantia uindicetur. de qua re precipimus ut quisquis culpam fecerit in ipso quidem ut dignum est uindicetur.

a commodo autem eius omnimodo abstineatur.

J. x. Q. ii.

S. e. Q. i. Decimas.